Programm

des

Königlichen kathol. Gymnasiums zu Neisse

für den Zeitraum
vom 2. Mai 1881 bis zum 1. April 1882
womit
zu der am 31. März 1882 erfolgenden

öffentlichen Prüfung

und
zu der am 1. April 1882 stattfindenden

Entlassung der Abiturienten

ehrerbietigst einladet

Dr. Julius Zastra,
Direktor des Gymnasiums,
Ritter des Rothen Adlerordens III. Klasse mit der Schleife.

Inhalt.

1882. Programm-No. 172.

Neisse, 1882.

Druck von F. Bär, vormals Rosenkranz & Bär.

De Plini Secundi Minoris locis quibusdam interpretandis et emendandis.*)



Caius Plinius Cæcilius Secundus Minor, qui epistularum libros novem, epistularum ad Trajanum librum, panegyricum edidit, *anno sexagesimo altero* post Christum natum, octavo anno post, quam Nero imperium susceperat, *Comi*, in clarissimo Galliæ Transpadanæ municipio, ortus fuit.

Comum ad Larium lacum situm erat, quem idcirco *suum* appellat (II 8, 1; VI 24, 2). Cuius in litore plures amœnissimas villas possidebat, sed duae eum maxime ut delectabant, ita exercebant. Altera imposita saxis more Baiano lacum prospiciebat, altera aeque more Baiano lacum tangebat; haec lacu propius, illa latius utebatur; illa fluctus non sentiebat, haec frangebat.

Quarum villarum ædificationem aspectumque Plinius l. IX ep. 7 describit.

Baiæ, intra Cumas et Puteolos sitæ, quippe quæ amœnitate locorum, aquarum salubritate, iucundidate vitæ præter reliquas balneas Italiæ florerent, ineunte æstate frequentabantur, qua de causa Horatius in ep. I 1, vs. 83—85 dicit:

„Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis.
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis eri.“

Villam alicubi ædificantes Romani totam Baianæ regionis naturam villarumque condicionem secuti Baias et loca, quæ circumiacebant, imitabantur, præsertim cum nobilissimi et divitissimi locum illum celeberrimum prædiis permultis amœnissimis iisdemque splendidissimis ornarent. Marii, Cæsares, Pompei lapidibus quadratis vel saxis villas suas summis locis exstruebant, ut ædificantium mentem ingeniumque tamquam præ se ferentes arcium instar totam regionem tenere viderentur, cum alii suggestis molibus maris Baiis obstrepentis litora submoverent; itaque eos Horatius parum locupletes continente ripa (Od. II 18, 22) et terræ fastidiosos dominos (Od. III 1, 36) apte vocat. *Utramque* ædificandi rationem et consilium iniisse Plinium valde iuvat, ut ipse dicit duas ad Larium lacum villas describens: ex una villa, ubi fluctus non sentiantur, se posse despicere piscantes, ex altera, ubi fluctus frangantur, ipsum piscari hamumque de cubiculo ac pæne de lectulo ut e naucula iacere. Quis est, quin hac in re de Britanniæ perillustribus viris hamo piscantibus cogitet?

*) Ad manum mihi erat Henrici Keilii editio critica (Lipsiæ, 1870), quam secutus singulos locos Plinianos attuli.

Plinium Romæ versantem maximum desiderium tenebat lacum Larium visendi. Itaque l. II ep. 8 ex Caninio suo quærit: „Studes (scl. litteris), an piscaris, an venaris, an simul omnia? Possunt enim omnia fieri ad Larium nostrum; nam lacus pisces, feras silvae, quibus lacus cingitur, studia altissimus (non: studii amisissimus, ut codex Dresdensis scribit) iste secessus affatim suggerunt."

Studere cum dativo numquam non coniungendum est. Sed Plinius (I 6, 2; II 13, 5; IV 13, 3; VII 9, 1) illiusque ætatis scriptores (Suet: Tib. 61; Senec: ep. 94) absolute adhibent.

An simul omnia? Verbum *„facis"* supplendum est, quod *saepe deest,* si vocabula: „nihil aliud quam, quid aliud quam, nihil amplius quam" inter se conectuntur. Confer Liv. II 32, 9: „Menenius Agrippa narrasse fertur indignatas reliquas partes sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quaeri, ventrem in medio quietum *nihil aliud* (scl. facere) *quam* datis voluptatibus frui."

Lacus pisces suggerit; non intellego, quid sibi velit lectio Vaticani codicis „laucus piscem" et Medicei „lacu piscem." Sed sive omnia simul sive aliquid facis, non possum dicere „invideo"; angor tamen non et mihi licere, quae sic concupisco, ut aegri (Dresdensis codex: aeger) vinum balinea fontes. Nunquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? numquam, puto. Nam veteribus negotiis nova adcrescunt, nec tamen priora peraguntur: tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur (non: ostenditur). vale.

Editio Romana aberrat scribens: „sive omnia simul sive aliud facis"; nam de tribus rebus agitur, de studendo vel piscando vel venando, atque ipsam lectionem Florentini „facias" falsam esse perpicuum est.

In libri II ep. 17 Gallo suo „Miraris," Plinius inquit, „cur me Laurentinum vel, si ita mavis, Laurens meum tanto opere delectet: desines mirari, cum cognoveris gratiam villae, opportunitatem loci, litoris spatium. Decem et septem milibus passuum ab urbe secessit, ut peractis quae agenda fuerint salvo iam et composito die possis ibi manere. Aditur non una via: nam et Laurentina et Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina a quarto decimo lapide, Ostiensis ab undecimo relinquenda est."

Petronius ipse, quem similiter ac: maître de plaisir *elegantiæ arbitrum* fuisse *Neroni* scimus, in satiris suis verba „si ita mavis" persaepe adhibuit; *Cicero* autem verbis utitur: *„si ita videbitur, si ita visum fuerit."*

Gratia significat villae Laurentianae *iucundidatem ac splendorem.* Cuius villae *opportunitatem* commemorans Plinius aeque ad *propinquitatem* Romae, Ostiae, Laurenti spectat atque ad *amœnas vias,* quae eo ferebant. *Spatium litoris* est idem quod *spatiosum litus;* nam loco adiectivi germanici, si graviore vi usurpatur, latina lingua substantivo abstracto utitur, veluti: „Milites ubi, quantum storiarum demissio *(storiæ demissæ)* patiebatur, tantum elevarant turris tectum, parietes lateribus exstruebant (Caes. b. c. II 9, 6).

Ictum saxorum in musculum devolutorum firmitas materiae *(firma materia)* sustinet, et quicquid incidit fastigio musculi elabitur (Caes. b. c. II 11, 1). — Isocratis ludus nobilitate discipulorum *(nobilibus discipulis)* florebat (Cic.) — Hannibalis iter impediebant asperitates viarum *(asperæ viæ)*."

Laurentinum *decem et septem milibus passuum* ab urbe *secessit.* Decem aut septem quam lectionem codex Pragensis elicuit, repudianda est, id quod ex sequentibus verbis apparet. Nam Laurentiana via a quarto decimo lapide, Ostiensis ab undecimo relinquenda erat; lapides autem inter se singula milia passuum distabant; aberat ergo villa, Laurento urbi vicina, plus quattuordecim milia passuum ab urbe. Laurentum *intra Ostium et Lavinium* mari adiacens hodie „Torre di Paterno" vocatur, nisi forte iis fidem habemus, qui Laurentum ibi, ubi nunc „Cassale di Capocotta", situm fuisse putant. Loco „decem et septem" forma *„septendecim"* usitatior est, et *„decem septemque"* a nullo scriptore nisi a *Nepote* in *Catonis vita* I 2 adhibetur: „Primum stipendium meruit annorum decem septemque Q. Fabio M. Claudio consulibus."

Secessit quae lectio plerisque codicibus inest, integra exhibenda est: villa cum homine comparata a cœtu hominum frequentiaque in quandam solitudinem quasi se recepit; Keilius „recessit" in textum intulit; at confer l. II ep. 8, 1, *„studia altissimus iste secessus affatim suggerit"* et l. II ep. 13, 5: *„ille in secessu contubernalis."*

In Laurentina villa versari iucundissimum erat, salvo iam praesertim et composito die, ut requiem ibi quaerere seque ex gravibus negotiis reficere nemo unquam dubitare videretur. *Dies salvus* nominatur, quo omnibus officiis pro virili parte functi sumus, et *compositus* est is dies, quo omnes res bene recteque disposuimus.

De Plini Minoris patre C. Caecilio Comensi nihil reperimus, nisi quod originem ab eadem gente duxit, ex qua Caecilius poëta, quem Catullus, ut ad se devertatur, carmine 35 invitat:

Poetae tenero, meo sodali,
Velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi reliquens
Comi moenia Lariumque litus."

Mater Plinia C. Plini Veronensis, qui naturalem historiam eamque religiosissime scripsit, soror erat, quae amisso praemature marito in domo fratris vitam securam vivebat, a quo filius adoptatus fuerat, qua de causa in nomen C. Plini Secundi transiit.

Plini saluti ipse tutor *Verginius Rufus* optime consulebat, cuius laudes l. II ep. 1 celebrat.

Verginius Rufus, maximus et clarissimus civis, perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, cum principis noluisset.

Ii enim, qui imperatoribus Romanis parebant, omnes privati nominabantur, quamvis ad eos honores, magistratus, imperia, potestates deferrentur. Atque Rufus *principis fasti-*

gium implere noluisse fertur. Cum in Germania superiore, Nerone imperatore, magnis copiis praeesset et Julium Vindicem, qui partes sequebatur Servi Sulpici Galbae, devicisset, praetorianae cohortes eum impellebant, ut sibi imperatoris potestatem vindicaret (Tac. h. I 8, 52; Plut. Galb. VI; Dio 63, 24, 25); Othone mortuo, legiones post proelium Bedriacense iterum decreverunt ad eum rerum summam deferre (Tac. h. II 49. 51). Neque vero Rufus militum arbitrio favit.

Caesares, quibus suspectus atque etiam invisus virtutibus fuerat, Rufus evasit.

Evadere si idem valet quod effugere, verbaque excedere et egredi cum nudo ablativo vel praepositione ex coniungi solent. Plinius autem et alii scriptores, qui Cicerone et Caesare omissis secundas partes, ut ita dicam, agunt, quod ad scribendi rationem pertinet, his verbis usi accusativum persaepe adhibent, ut scriptum videamus: „Insidias, omnia vitae incommoda evadere (Suet.); urbem egredi, curiam, urbem excedere (Liv.); fastigium equestre excedere (Tac.); tecta excedere, veritatem egredi (Plin.); egressi tecta consistimus (Plin. ep. VI 20, 8); limen egredi (Quint. XI 2, 13).“

Annum tertium et octogesimum excessit Rufus in altissima tranquillitate, pari veneratione.

Verginius Rufus, quo fere *nemo* tum maximis officiis *occupatior impeditiorque* erat, otio minime indulgebat amplissimisque honoribus abundabat. Quamobrem altissima *tranquillitas* ad *vitam curis et angoribus vacuam* referenda est, quam Verginius senex agebat; cum enim summa imperii penes Nervam, optimum imperatorem, esset, cives tandem aliquamdiu, ne servitute opprimerentur, timere desierunt.

Usus est Rufus firma valetudine, nisi quod solebant ei manus tremere, citra dolorem tamen (id est: nullo dolore).

Praepositio citra apud Saetonium, Quintilianum, Tacitum, Plinium alios eandem notionem habet quam praepositio sine apud Ciceronem Caesaremque.

Aditus tantum mortis durior longiorque, sed hic ipse laudabilis. Nam cum vocem praepararet (non „repararet“, quae coniectura Dresdensis codicis futtilis est;) acturus in consulata principi gratias, liber, quem forte acceperat grandiorem, et seni et stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum sequitur colligitque, per leve et lubricum pavimentum fallente vestigio cecidit coxamque fregit, quae parum apte collocata, reluctante aetate, male coiit.

Haud scio an verbis *„vocem præpararet“* haec significatio subicienda sit:

„Sollemnem et senatu atque principe dignam orationem, qua in ineundo consulatu tertio imperatori gratias ageret. elaboraverat et elaboratam meditatus memoriae mandavit.“

Librum elapsum Rufus dum *sequitur colligitque,* per leve pavimentum cecidit:

Demisso corpore librum deprehendere volebat et in eo erat, ut in pavimento replicaret; sed assurgens, cum longius aetate esset provectus, necopinato in pavimento cecidit. Itaque lectioni editionis principis „dum consequitur“ non assentimur; nam non simul cum

libro lapsus est. Verbo „colligit" genuina notio inest, neque Vaticani codicis lectio: „**collocat**$\overset{a}{\underset{\cdot}{e}}$" respicienda est. Codicis Vaticani lectio „**collocat**$\overset{a}{\underset{\cdot}{e}}$" non nisi e verbo „colligitque" originem duxisse iam inde facile intellegitur, quod librarius fortasse formam litterae **q** non satis distinste cognovit, quare consonantem: **q** cum insequenti vocali: **ı** in syllabam: **cat** iungendam esse putavit, sicut paullo post litteras: **q̄e** i. e. que expressit per vocales: $\overset{a}{\underset{\cdot}{e}}$

Facillime igitur forma: **collıqıtq̄e** in: **collocat**$\overset{a}{\underset{\cdot}{e}}$ abire potuit.

Collocare est medicinae artis vocabulum, quo membrum fractum in sedem suam repelli reponique significatur.

Romani corpus Rufi mortuum condituri pompam funeris honestam et magnificam fecerunt, et *felicitas* Rufi *ad summum perfectionis gradum* eo pervenit, quod *Cornelius Tacitus* eum pro rostris *laudavit*. *Itaque Plinius* dicit:

„Huius viri exsequiae magnum ornamentum principi, magnum etiam foro et rostris attulerunt. Laudatus est a consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus."

Nam clarissimorum virorum funebres laudationes *ex senatus consulto* magistratibus saepe mandabantur, praesertim si cognati, ne facerent, impedirentur. Eodem modo, ut exemplum afferam, L. Cornelio Sulla mortuo laudatio publice habita est, cum Faustus filius esset admodum puer.

Et ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiam, quos recusavit.

Quamquam *plenus* adiectivum a Cicerone raro cum ablativo coniungitur, tamen latina lingua ab ablativo non abhorret, atque Quintilianus ipse (IX 3, 1) ait: „*Verborum* vero *figuræ* et mutatae sunt semper et, utcumque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quidquid loquimur figura est: ut *hac re invidere* non, ut veteres et Cicero praecipae, *hanc rem;* et *incumbere illi* non *in illum*, et *plenum vino* non *vini*, et *huic* non *hunc adulari* iam dicitur et mille alia."

Nobis tamen quaerendus ac desiderandus est ut exemplar aevi prioris.

„*Quærendus*" scriptura multo melior est quam codicis Florentini Pragensisque „querendus." Nam inter *quærere* et *desiderare* hoc maxime interest, quod, quidquid desideratur, ardentius cupimus et sitimus, quam quod quaeritur. Itaque Plinius ipse (VI 2, 1) scribit: „Soleo nonnumquam in iudiciis quaerere Marcum Regulum, nolo enim dicere, desiderare."

Rufi *vita* et *forensis* et *umbratilis* erat *admirabilis;* itaque Plinius Rufum non solum in omni actione atque administratione civitatis florentem, sed etiam a negotiis publicis ad vitam umbratilem et otiosam perfugientem diligebat. Ad hoc pertinent verba: „Illum non solum publice sed etiam privatim quantum admirabar tantum diligebam."

Verba „*sed etiam privatim*" quae corrector codicis Vaticani et editiones Aldina et

Romana praebent, repetenda sunt. *Res* enim *inter se contrarias atque oppositas in medium proferre* maxime est *Plini.*

Avunculum suum Plinius sincero corde totoque animo diligebat et in l. III ep. 5 sibi pergratum esse affirmat, quod Baebius Macer tam diligenter libros avunculi lectitet, ut ille habere omnes velit quaeratque, qui sint omnes: se igitur indicis partibus functurum atque etiam, quo sint ordine scripti, notum illi esse facturum; esse enim hoc quoque studiosis non iniucundam cognitionem.

Bæbius Macer, ad quem Riccardianus libri tertii epistulam quintam missam esse in indice dicit, a Plinio iterum commemoratur in l. IV ep. 9, 16: „Censuit Baebius Macer, *consul designatus:* lege repetundarum Bassum teneri, Caepio Hispo: salva dignitate iudices dandos; uterque reste."

„Tam diligenter" inquit Plinius, „libros avunculi mei lectitas, ut quaeras, qui sint omnes."

Vaticani codicis lectio haec est: „qui sunt omnes"; quamobrem exempla ante Aldum expressa iam correxerunt „qui sint"; nam a verbo *„quæras"* enuntiatio interrogativa et coniunctivus dependet. Attamen ex Vaticano codice adiectivum *„omnes"*, quod illa exempla omittunt, recipiendum est; nam avunculi librorum argumenta breviter astringens dicit, quales omnes sint, et ne unum quidem silentio praetermittit.

Atque adeo, quo essent ordine libri scripti, Plinius ipse indicaturus erat, quasi ipse adesset.

Haesito an haec sententia verbis: *„indicis partibus fungar"* insit, cum alii „indicem idem significare quod catalogum" contendant, ita tamen, ut me quidem iudice Plinius amanuensis loco Baebio esse velit.

„Notum" Plinius ipse inquit, „tibi faciam; est enim hoc quoque studiosis non iniucunda cognitio."

Codex *Mediceus* vel *Laurentianus,* cui maxima auctoritas ad genuinam scripturam indagandam tribuenda est, exhibet: „est enim *hoc* non iniucunda cognitio"; reliqui autem codices omnes et editio Aldina hanc lectionem praebent: „est enim haec quoque non iniucunda cognitio", attractionem demonstrativam intellegentes. Pronomen autem si ea quae antecedunt universa complectitur, in neutro genere haud raro positum est, et Plinius dicere videtur: „iucundum esse, ut etiam, quo sint ordine libri scripti, ille (scl. Macer) sciat." Hic Plinianus locus cum Vergili (Aen. III 173): „nec sopor illud erat (scl. attonitum esse visis et voce deorum)" et Livi (II 38, 5) comparari potest: „Quid deinde illud non succurrit vivere nos, quod maturarimus proficisci? — si hoc (scl. quod maturavimus profiscisci) profectio et non fuga est." De hac re vide adnotationem 333, quam *Haasius* subtilissimus antiquitatis investigator atque existimator Reisigii latinae grammaticae adiecit.

Discipulorum interesse opinor scire, *quos libros scripserit Plinius Maior.*

„De iaculatione equestri unus;" hunc, cum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit.

„De vita Pomponi Secundi duo“, a quo singulariter amatus hoc memoriae amici quasi debitum munus exsolvit.

„Bellorum Germaniae viginti“, quibus omnia quae cum Germanis gessimus bella collegit.

„Studiosi tres“, in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabilis (Florentinus: ab cunabilis) instituit et perfecit.

„Dubii sermonis octo“: scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius (non: rectius) periculosum servitus fecisset.

„A fine Aufidi Bassi triginta unus.“

„Naturae historiarum triginta septem,“ opus diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsa natura.

Pomponius Secundus in superiore Germania a Chattis latrocinia agitantibus victoriam reportavit: itaque Tacitus (ann. XII, 28) scribit: „Decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit,“ et Quintilianus (X 1, 98) eum appellat tragicorum principem.

Studiosi tres. Verbum „*studere* (II 8, 1)“ et adiectivum „*studiosus*“ a Plinio et ab aliis scriptoribus illius aetatis etiam absolute adhibentur; supplendum est „*litteris*“ vel „*litterarum;*“ loco „*studiosus*“ ipsum vocabulum „*scholasticus*“ in usu erat.

Opere, cui titulus „*dubius sermo*“ inditus erat, Plinius Maior quaestiunculas grammaticas de dubia notione, forma, constructione complurium vocabulorum tractabat, quamvis *ad liberiora studia se conferre mallet.* Cum autem dominatio atrocissima imperatorum, qui Augustum sequebantur, Romanis per spatium circiter sexaginta annorum magnum terrorem pavoremque iniceret, cavebant, ne quid scriberent, quo suspecti fierent. Illius operis *Priscianus Diomedes Charisius* grammatici plurimos locos afferunt.

De *Aufidio Basso* Quintilianus scribit: „Servilius Nonianus erat clari vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus, quam historiae auctoritas postulat. Quam (scl. auctoritatem), paulum aetate praecedens eum, Bassus Aufidius egregie, utique in *libris belli Germanici* praestitit.“ Huic libro Aufidi nondum ad finem deducto Plinius plurima addidit suae aetatis mores institutaque describens.

Diffusum opus Plinius intellegit opus copiosum.

Avunculus anno aetatis sexto et quinquagesimo decessit, eiusque *obitum* Tacito historiam scripturo rogatus narrat l. VI ep. 16:

Erat avunculus Miseni classemque imperio praesens regebat.

„Italiam“ ut ait Tacitus (ann. VI 5), „utroque mari duae classes *(quas imperatores, ubi oportebat, in omnes partes dimitterent),* Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense *(quod oppidum in Gallia Narbonensi situm hodice „Fréjus“ nominatur)* miserat

valido cum remige." Classi apud Misenum versanti eo tempore quo *Vesuvi incendium* excitari coeptum est, Plinius Maior praeerat.

Nonum (scl. diem ante) Calendas Septembres hora septima (meridiano tempore vicesimi quarti diei Augusti mensis anni septuagesimi noni p. Chr. n.) mater mea iudicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus ille sole, mox frigida (scl. aqua), gustaverat iacens studebatque.

Ut enim bona firmaque valetudine uterentur, Romani *in sole,* si carebat vento, ambulabant vel iacebant, et cum *Antonio Musae,* ut Augusto imperatori mederetur *aqua gelida,* contigisset, Romani balneas *cellis frigidariis* spatiosis latisque instruebant atque ornabant.

Atque Plinius ipse, postquam apricatus erat, plerumque frigida aqua lavabatur. Deinde gustabat dormiebatque aliquamdiu. Paulo post studebat in cenae tempus. *Gustabat* est apud Plinium: levem et facilem cibum inter prandium et cenam sumebat." Sed permultis aliorum scriptorum locis *gustatio* vel *promulsis* interpretanda est leviores cibi, quibus Romani, priusquam cenandi initium facerent, quo iucundius largiusque epularentur, vescebantur, ut ovis, piscibus sale conditis, mulso, aliis.

Poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes, incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata (non: *flata* vel *efflata*) in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem vanescebat: candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat; magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum.

Pinus est Italiae *pinus pinea* in spectabilem magnitudinem crescens, cuius summus truncus tecto quodam frondoso latoque ut umbella ornatus est.

Iubet Liburnicam aptari, *ut unde nubes exorta esset, quam primum cognosceret.* Egrediebatur domo: accipit codicillos (Dresdensis codex: accepit).

Nunc corruptissima librorum scriptura reperitur; quam si quisquam emendare potuit, certe Keilius emendavisset. Omnes nimirum coniecturae adhuc excogitatae ad rerum conexum parum accommodatae et minus aptae sunt, quam quae omni ex parte plane probentur. At Plinius de Caesio Basso quodam, cuius villa subiacebat, fortasse cogitavit; qui imminenti periculo exterritus Plinio Maiori, ut se suosque tanto discrimine eriperet, codicillos misisse videtur, quod nulla nisi navibus fuga esset.

Cæsium Bassum, cui Persius sextam satiram dedicavit, ipsum ardente Vesuvio una cum villa sua ustum esse explicator satirarum Persi tradit.

Vertit consilium et quod studioso animo incohaverat *(studio causam nubis exortæ cognoscendi),* obit maximo (id est: *eo consilio eaque qua erat magnitudine animi et humanitate, ut quam plurimis ipse salutem laturus esset.*

Quam ad rem efficiendam celeriter navigantem Liburnicam cum quadriremibus, quibus plures homines exciperentur, mutavit.

Deducit quadriremes, ascendit ipse non Retinae modo (i. e. Retinae incolis), sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium.

Loco corruptae librorum scripturae *„Rectinæ“*, qua nomen mulieris cuiuslibet indicari videtur, legendum est *„Retinæ.“*

Retinam (hodie: Resinam) in imis Vesuvi montis radicibus intra Porticos et Herculaneum sitam fuisse inter omnes constat.

Properat illuc unde alii fugiunt rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu, ut omnes (non: omnia) illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, dictaret enotaretque. Stabias petit, ubi Pomponianus quidam versabatur, et complectitur trepidantem, consolatur, hortatur. Interim e Veuvio monte pluribus locis (Mediceus codex praepositionem *in* adhihet) latissimae flammae altaque incendia relucebant, quorum fulgur et claritas tenebris noctis excitabatur.

Non est, quod editionem Romanam secuti scribamus „tenebras noctis excipiebat“ aut aliis exemplis fidem habeamus scribentibus: „tenebras noctis pellebat.“ Nam *„excitabatur“* hoc loco idem fere valet quod *„augebatur“*, ut in tabulis pictis, in quibus partes quaedam obscuriore colore effinguntur, aliae clarius splendent atque effulgent.

Crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. Placuit egredi in litus et ex proximo aspicere, ecquid iam mare admitteret *(sibi permitteret fugere)* quod adhuc vastum (i. e. *sævum et horribile)* et adversum (i. e. *æstuosum)* permanebat. Ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam poposcit hausitque *(ut sitim, qua vehementer vexabatur, levaret)*. Deinde flammae flammarumque praenuntius odor sulpuris alios in fugam vertunt, excitant illum. Innitens servulis duobus adsurrexit et statim concidit, ut ego colligo (i. e. conicio), crassiore caligine spiritu obstructo clausoque stomacho, qui illi natura invalidus et angustus et frequenter aestuans erat *(ut solita pulmonum respiratio itaque vox, cum suffocari videretur, eum persæpe deficerent).*

Tremor quod vocabulum in l. VI ep. 20 saepius invenitur, a nullo nisi a Plinio et illius aetatis scriptoribus adhibetur, qua voce idem exprimant quod est *„terræ motus.“* Apud Livium legimus: „pallor et tremor et dentium crepitus; tremor omnium membrorum.“

„Vastus“ adiectivum ad res et ingentes et horribiles, i. e. metum et pavorem excitantes, pertinet.

Caligo est fumus pavorque qui pulmones petens vehementer urget atque vexat.

Stomachus hoc loco non ventrem gulamve significat, sed arteriam quae Plinio Maiori frequenter *æstuans* erat, ut propter angustias spiritus persaepe corriperetur.

„Quiescenti“ positum est pro „dormienti“, ut VI 20: „Invasit in cubiculum meum mater: surgebam invicem, si quiesceret, excitaturus.“

Uno anno post avunculi mortem Plinius, undevicesimo aetatis anno, *in foro dicere* coepit.

„Susceperam“ Plinius ipse inquit l. I ep. 18, „causam Iuni Pastoris et eram acturus adulescentulus adhuc, eram in quadruplici iudicio, eram contra potentissimos civitatis atque etiam Caesaris amicos: quae singula excutere mentem mihi poterant; egi tamen, prospere cessit, atque ideo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae patefecit.“

Excutere mentem more poëtarum positum est pro *„terrere, perturbare.“*

Atque ideo quam lectionem Florentinus codex editionesque princeps et Aldina praebent, loco lectionis „atque adeo“ servanda est. Fuerunt quidam critici, qui *causæ* notionem particulae *adeo* tribuerent eamque pro *ideo, adeo quod* pro *propterea quod* acciperent. At desunt ratio et exempla, et *perverse* interpretantur *adeo esse fere idem quod ideo.*

In quadruplici iudicio. Decemviri stlitibus iudicandis inde ab Augusti aetate iudicia centumvirum, ita quidem, ut praetor urbanus praesideret, moderabantur; quae iudicia in quattuor consilia vel tribunalia dispertita erant, quae cum universa, praesertim in gravioribus causis (causes célèbres), tum maxime singula ius petentibus dicebant, hasta pro basilica posita; inde fit, ut Seneca (Aug. 36) vocabulis *„hastam centumviralem cogere“* utatur.

Optime causam, quae in iudiciis centumviralibus agebatur, Plinius adumbrat atque describit l. VI ep. 33, ut paulo post dilucide explicat, qua ratione eiusmodi iudicia haberi solerent:

Attia Viriola, femina splendide nata, nupta praetorio viro, exheredata ab octogenario patre, intra undecim dies, quam illi novercam amore captus induxerat, quadruplici iudicio bona paterna repetebat.

Si quid paulo aut multo post aliquem eventum accidit, enuntiatio temporalis, quo id quod paulo aut multo post factum est, indicatur, a vocabulo *quam* exorditur; itaque Plinius scribit: *intra undecim dies quam induxerat“;* confer Nep. Arist. I 5: „Aristides sexto fere anno, quam erat expulsus, populiscito in patriam restitutus est“; et Nep. Dion V 3: „Sed Dion quinquaginta annorum imperium adeo facile perculit, ut post tertium diem, quam Siciliam attigerat, Syracusas introierit.“

Quam illi novercam amore captus induxerat. Codex Dresdensis scribit: „quam ille novercam ei amore captus induxerat.“ Cum autem *ab octogenario patre* praecedat, non verendum est, ne nesciamus, quis novercam induxerit. Pro „inducere novercam“ Seneca declam. 3 „superducere liberis uxorem“ et Graeci *„ἐπάγεσθαι μητρυιάν“* dicunt.

Sedebant centum et octoginta iudices (tot enim quattuor consiliis colliguntur): ingens utrimque advocatio et numerosa subsellia, praeterea densa circumstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambibat. Ad

hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore basilicae parte qua feminae qua viri et audiendi, quod erat difficile, et, quod facile, visendi studio imminebant. Magna exspectatio patrum, magna filiarum, magna etiam novercarum.

Centumviri cum ex unaquaque tribu terni crearentur, initio erant *centum quinque;* temporibus imperatorum *aucti sunt,* quod multo plures actiones intendebantur.

Etsi „*advocatus*“ Plini tempore idem significat quod prius „*causæ patronus*“, tamen appositum adiectivum „*ingens*“ efficit, ut intellegamus omnes, qui aderant atque ipsorum praesentia, utri maxime parti faverent, ostendere cupiebant.

Qua — *qua.* Copulativae particulae correspondentes *qua* — *qua,* non multum ab *et* — *et* distantes, singula vocabula coniungunt, veluti: qua nobilitate gentis qua corporis magnitudine (Liv.); — qua corporis, qua animi robur (Val. Max); — qua virum qua uxorem di vos perdant (Plaut.); — qua dominus qua advocati (Cic.); — omnia convestit hedera qua basim villae qua intercolumnia (Cic.). —

Maximi momenti est, quod ad centumviralia iudicia attinet, *Cic. de orat.* I *38:* „Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae.“ Iudices centumvirales, a quibus non nisi imperatorem ipsum appellare licebat, fortasse non inepte comparari posse videntur cum iudicibus imperii Germanici, penes quos summa iurisdictio est: intellegi enim volo tribunalia quibus nomen est „Reichsgericht.“ Confer *Zumpt:* „Über Ursprung, Form und Bedeutung des Centumviralgerichtes (Berlin 1838);“ *Schneider:* „De origine centumviralis iudicii (Rostock 1855); *v. Keller:* „Römischer Civilprocess (3. Auflage, Leipzig, 1863).“

Plinius qui et disertissimus et eloquentiae gloria excellens erat, per omnem aetatem causas egit tam in senatu clariores et nobiliores, quam apud centumviros plurimas, quorum iudicia suam harenam vocat (VI 12, 2), etsi centumvirales causas saepe ab ingenio suo moribusque abhorrere et ab adulescentulis obscuris suo tempore profanari l. II ep. 14 Maximo suo dedicata queritur.

„Verum“ inquit, „opinaris: distringor centumviralibus causis quae me exercent magis quam delectant. Sunt enim plerumque parvae et exiles. Raro incidit vel personarum claritate vel negotii magnitudine insignis. Ad hoc pauci cum quibus iuvet dicere: ceteri audaces (i. e. *protervi*) atque etiam magna ex parte adulescentuli obscuri ad declamandum huc transierunt, tam inreverenter et temere, ut mihi Atilius noster expresse (i. e. *apte*) dixisse videatur sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Nam hic quoque, ut illic, primum coepit esse quod maximum est.“

Adulescentuli, qui adhuc in scholarum umbraculis in declamationibus elaborandis desudarent oportebat, Plinio vivo actores causarum *de iure respondebant.*

Atilius Crescens (VI 8, 1) erat Plini amicissimus, cuius multa tum ferebantur acute dicta et sapienter responsa, ut: „satius est enim otiosum esse quam nihil agere (I 9, 7).“

Pueri ab Homero in scholis *auspicabantur,* ut omnium rerum imperiti cuiusdam rudisque esset nescire, *„iratus Graiis quantum nocuisset Achilles* (Hor. ep. II 2, 42).“ Liceat mihi afferre Quint. I 8, 5: „Ideoque optime institutum est, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet, quamquam ad intellegendas eorum virtutes firmiore iudicio opus est; sed huic rei superest tempus, neque enim semel legentur. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat et ex magnitudine rerum spiritum ducat et optimis imbuatur.“

„Illos adulescentes audaces“ pergit Plinius, „sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti: manceps convenitur: in media basilica tam palam sportulae quam in triclinio dantur: ex iudicio in iudicium pari mercede transitur. Inde iam non inurbane *Σοφοκλεῖς* (Bravoklatscher) vocantur *(ἀπὸ τοῦ σοφῶς καὶ καλεῖσθαι)*: iisdem latinum nomen impositum est laudiceni (Lobgäste). Et tamen crescit in dies foeditas utraque lingua notata. Here duo nomenclatores mei ternis denariis (Mark 2,40) ad laudandum trahebantur. Tanti contat ut sis disertissimus.“

Non deerant Romae, quibus e re esse videretur oratores quamvis mediocres essent, plausu et clamore prosequi. A mancipibus ternis denariis conducebantur et redimebantur, quo pretio, ut infinitos clamores *(euge, belle, bene et praeclare, non potest melius, o hominem litteratum, φεῦ, σοφῶς, ὀρθῶς)* commoveret, ingens corona colligeretur; declarant Horatius, Iuvenalis, Martialis.

Sportula. Ii, qui in divitum clientela erant, antiquitus ad cenam invitabantur; postea loco *cenae iustae sportulam cibo refertam* accipiebant aut plerumque *denos sestertios* (2 Mark), quae stips ipsa „sportula“ nominabatur.

Here. Quamobrem lecturam codicum Medicei et Vaticani „here“ aspernemur et refutemus, non intellego, praesertim cum Quintilianus (I 7, 22) scribat: *„Here* nunc E littera terminamus: at veterum comicorum adhuc libris invenio *heri ad me venit:* quod *idem in epistulis Augusti,* quae sua manu scripsit aut emendavit, *deprehenditur.“* Vide de hoc adverbio Handii Tursellini vol. III pag. 61 sqq.

„Avidius Quietus“ inquit Plinius VI 29, „qui me unice dilexit et, quo non minus gaudeo, probavit, ut multa alia Thraseae (fuit enim familiaris) ita hoc saepe referebat, praecipere solitum suscipiendas esse causas aut amicorum aut destitutas aut ad exemplum pertinentes. Cur amicorum, non eget interpretatione: cur destitutas? quod in illis maxime et constantia agentis et humanitas cerneretur: cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum referret, bonum an malum induceretur. Ad haec ego genera causarum, ambitiose fortasse,

addam tamen claras et inlustres. Aequum est enim agere non numquam gloriae et famae, id est suam causam. Hos terminos, quia me consuluisti, dignitati ac verecundiae tuae statuo."

Me unice dilexit. „*Unice*" pro „*valde, vehementer*" positum est, ut apud Ciceronem (ad famil. V 8, 11): „*unice* diligo" et apud Plinium (III 3, 1): „Cum patrem tuum suspexerim magis an amaverim, dubitem teque in memoriam eius et in honorem tuum *unice* diligam, cupiam necesse est atque etiam, quantum in me fuerit, enitar ut filius tuus avo similis exsistat."

De *Thrasea Paeto,* qui a Vespasiano *eiectus esse* traditur (Dio 66, 13), scribit Seneca:

„*Virum exactae sapientiae firmaeque constantiae, eloquentiae* vero *eius,* quae *res fortissimas* deceat (de benef. VII 8, 2)" et Tacitus:

„Ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto (i. e. interficiendo) Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim (i. e. iam pridem) utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque iuvenalium *(a Nerone institutorum)* ludicro parum spectabilem operam praebuerat (ann. XVI 21)."

„Tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor consulis missus vesperascente iam die. Inlustrium virorum feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio cynicae institutionis doctori, cum quo de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat (ann. XI 34)."

Causae destitutae. Eae causae destitutae nominabantur, quas cum parum prospere cedere viderentur, nemo advocatus agere animum inducebat.

Causas ad exemplum pertinentes Thrasea contendit suscipiendas esse, quod plurimum referret, bonumne an malum induceretur, i. e. in scaenam quasi prodiret, ut et honestum tamquam egregie ac splendide ante oculos omnium versaretur et turpe homines ab ignominia atque infamia prohiberet.

„Nec me praeterit" pergit Plinius, „usum et esse et haberi optimum dicendi magistrum; proinde multum lege scribe meditare, ut possis, cum voles, dicere; dices, cum velle debebis."

Quod dicens Plinius Ciceronem (de off. I 1, 2) scribentem secutus esse videtur: „Quamobrem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum (scl. Cratippo), et disces, quamdiu voles: tam diu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non paenitebit."

„Hoc fere" legimus paulo post, „temperamentum ipse servavi. Non numquam necessitati, quae pars rationis est, parui."

Verba „*temperamentum tenere, servare, sequi*" a Plinio saepius (III 1, 6; paneg. III 1; X 3; 79, 5) adhibentur. Ovidius dicit (Met. II 137): „*Medio tutissimus ibis*" atque Cicero (de off. I 25): „Numquam enim iratus, qui accedet ad poenam, *mediocritatem* illam

tenebit, quae est *inter nimium et parum;* quae placet Peripateticis et recte placet." Germanicum proverbium: „Die Mittelstrasse ist die beste" nobis etiam licet vertere: *„Optima condicio est vitae mediocris habenda"* aut: *„Medium tenuere beati."*

Non numquam necessitati, quae pars rationis est, parui. Haec verba fere idem valent quod *„tempori cessi."* Confer Ciceronem (ad famil. IV 9): *„Necessitati parere semper sapientis est habitum"* et Quintilianum (I 8): „Metaplasmos enim et schematismos et schemata, ut dixi, vocamus et *laudem virtutis necessitati damus,* sed ut commoneat artificialium et memoriam agitet."

„Egi enim" pergit Plinius, quasdam (so manche) causas a senatu iussus (i. e. necessitati parens), quo tamen in numero (pro „eorum in numero)" fuerunt, *ut etiam ingenio meo indulserim,* ex illa Thraseae divisione, hoc est ad exemplum pertinentes."

Quam enuntiationem hoc modo interpretor: „Complures causas egi tempori cedens, in quibus quamvis senatorum maxime intersit nihil nisi iustum comprobari, numerandae sunt etiam ad exemplum, i. e. ad honestum et turpe inducendum pertinentes, ut tempori cedens atque simul ingenio meo indulgens servaverim temperamentum."

Gravius interpungendum erat inter vocabula „a senatu iussus, quo tamen in numero fuerunt", quo facilius huius loci sensus primo obtutu perspicuus et dilucidus fieret. Casauboni coniectura „quae tertio in numero fuerunt" paulo licentius facta esse neque rerum conexum huius loci prorsus aptum reddere videtur.

Plinius quinque eiusmodi causas enumerat (VI 29, 8—11):

„Adfui (anno 93) Baeticis contra Baebium Massam: quaesitum est, an danda esset inquisitio; data est.

Adfui rursus (Septembri fere a. 99) iisdem querentibus de Caecilio Classico: quaesitum est, an provinciales ut socios ministrosque proconsulis plecti oporteret: poenas luerunt.

Accusavi (mensibus Maio a. 99 et Januario a. 100) Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus utebatur clementia legis, cuius severitatem immanitate criminum (i. e. *quamvis crimina immania et ingentia essent)* excesserat; relegatus est.

Tuitus sum (circa annum 105) Julium Bassum ut incustoditum nimis et incautum, ita minime malum; iudicibus (scl. centumviralibus) acceptis in senatu remansit.

Dixi proxime (a. 106) pro Vareno postulante, ut sibi invicem evocare testes liceret; impetratum est (non: „imperatum", ut codex Dresdensis scribit)."

Senatusconsulto honorificentissimo provincialibus patronus datus Plinius accolas Baetis fluvii qui hodie „Guadalquivir" nominatur, ab iniuriis Baebi Massae et Caecili Classici defendit.

De *Baebio Massa* dicit Tacitus:

„Servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit ac statim obtruncatur, nec multo post Piso interficitur; namque aderat, qui nosceret, Baebius Massa *e procuratoribus Africae,* iam tunc *optimo cuique exitiosus* et *inter causas malorum,* quae mox tulimus, *saepius rediturus* (hist. IV 50)

et explicator Iuvenalis ad sat. I 35:

„Baebius Massa *morio (μωρός)* fuisse dicitur et Mettius Carus nanus (i. e. pumilio) . . hi omnes *Neronis* fuerunt *liberti* . . sed et *nequissimi delatores* . . Massa et Carus *Heliodoro deferente* (Domitiano imperatore) *occisi sunt*"

et Plinius (VII 33, 4—9):

„Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciae Baeticae contra Baebium Massam damnatoque Massa censuerat, ut bona eius publice custodirentur. Senecio cum explorasset consules postulationibus (scl. *privatorum in opes bonaque Massae reclamantium)* vacaturos, convenit me et „qua concordia" inquit „iniunctam nobis accusationem exsecuti sumus, hac adeamus consules petamusque, ne bona (scl. *postulatoribus)* dissipare sinant, quorum esse in custodia debent; *nam si consules id concederent, Senecio putabat sine dubio fieri posse, ut Massa specie reclamationum opes suas repeteret.* Venimus ad consules, dicit Senecio quae res ferebat, aliqua subiungo. Vixdum conticueramus, et Massa questus Senecionem non advocati fidem, sed inimici amaritudinem implesse, impietatis (scl. *in Domitianum imperatorem)* reum postulat; horror omnium. Ego autem „vereor", inquam, clarissimi consules, ne mihi Massa silentio suo praevaricationem obiecerit *(quasi Massæ partibus, non Bæticorum, quorum patronus essem, faverem),* quod non et me reum postulavit." Quae vox et statim excepta et postea multo sermone celebrata est."

Quod veretur, ne *idem* sibi *crimini detur* atque Senecioni, Plinius (III 4, 6) dicit:

„Praeterea cum recordarer, quanta pro iisdem Baeticis superiore advocatione etiam pericula subissem, conservandum veteris officii meritum novo videbatur."

Posteriorem pro Baeticis causam Plinius egit, cum legati provinciae Baeticae questuri *de proconsulatu Caecili Classici* advocatum eum a senatu peterent.

„Collegae optimi meique amantissimi" ut Plini verbis (III 4, 3—5) utar, „de communis officii necessitatibus *(ærarii enim præfectus erat Plinius)* praelocuti excusare me et eximere temptaverunt. Legati rursus inducti iterum me iam praesentem advocatum postulaverunt, implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Baebium experti, adlegantes patrocinii foedus *(proinde ac si pactum quoddam iis praestarem, quo eos ab iniuriis cuiuslibet generis defenderem).* Secuta est senatus clarissima adsensio, quae solet decreta praecurrere. Tum ego „desino", inquam, „patres conscripti, putare me iustas excusationis causas

attulisse." Placuit et modestia sermonis et ratio (i. e. diese bescheidene und rücksichtsvolle Sprache.)"

Cum *„legare"* fere idem valeat quod „internuntios de *publicis* rebus mittere", verbi *„allegare" prior* significatio est haec: „aliquem qui de *privatis* rebus agat mittere" et *posterior:* „aliquid in medium proferre, *quo quid excusetur vel commendetur.*" Baetici Plinium, ut se advocatus tueretur et servandos curet, orabant atque obsecrabant allegantes patrocinii foedus, i. e. excusandi causa patrocinii, quod iam prius sibi contra Baebium praestitisset, eum commonefecerunt. Plinius voce insolentiore *„foedus patrocinii allegantes"* utitur, proinde quasi Baetici *illum sibi,* quod iam semel defendisset, existimarent esse *astrictum.*

Tuitus sum Iulium Bassum ut incustoditum nimis et incautum ita minime malum; iudicibus acceptis in senatu remansit (VI 29, 10).

Loco „tuitus sum" quam perfecti formam Quintilianus ipse (decl. I 13) adhibuit, a Cicerone „tutatus sum" positum est.

Coniunctiones comparativae: *„ut — ita (sic)"* germanicis vocabulis „(einerseits) *zwar* — (anderseits) *aber (wenn auch — so doch)"* saepius respondent, ut legamus: „Ut errare potuisti — quis enim id effuggerit? — sic decipi te non potuisse quis non videt?" — „Ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali." — „Marius ut manu fortissimus, ita ingenio aspero fuit."

De iamborum scriptore *Iulio Basso* scribit Quintilianus (VI 3, 27):

„Id porro, quod dicitur, aut est lascivum et hilare, qualia A. Galbae pleraque; aut *contumeliosum,* qualia nuper *Iuli Bassi;* aut asperum, qualia Cassi Severi; aut lene, qualia Domiti Afri. Refert, his ubi quis utatur"

et Seneca (controv. X):

„Iulius Bassus, homo *disertus,* cui demptam velles quam consectabatur *amaritudinem et simulationem actionis oratoriæ,* consectari solebat res sordidas et inveniebat, qui illas unice suspiceret."

De *Vareno Rufo* confer Plin. V 20, 1—2:

Bithyni Rufum Varenum proconsulem detulerunt, Varenum, quem nuper adversus Bassum advocatum et postularant et acceperant. Varenus petiit, ut sibi quoque defensionis causa evocare testes liceret: recusantibus Bithynis, cognitio suscepta est; egi pro Vareno non sine eventu."

De *Mario Prisco* scribit Plinius (II 11, 2):

Marius Priscus accusantibus Afris, quibus pro consule praefuit, omissa defensione iudices petiit. Ego et Cornelius Tacitus, adesse *(παρίστασθαι, παραστῆναι)* provincialibus iussi, existimavimus fidei nostrae convenire notum senatui facere excessisse Priscum immanitate et saevitia crimina (i. e. modum criminum) quibus dari iudices possent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset."

Druckfehler-Berichtigungen.

1) Seite 4, Zeile 25 von oben: Snetonium statt Saetonium und eandem statt eaudem.
2) Seite 4, Zeile 5 von unten: ageret, statt ageret. (Komma statt Punkt.)
3) Seite 5, Zeile 4 von oben: distincte statt distinste.
4) Seite 5, Zeile 12 von unten: praecipue statt praecipae.
5) Seite 7, Zeile 11 von oben: nec statt nee.
6) Seite 7, Zeile 1 von unten: hodie statt hodice.
7) Seite 8, Zeile 11 von unten: nunc corruptissima statt eoruptissima.
8) Seite 9, Zeile 13 von oben: Vesuvio anstatt Veuvio und adhibet statt adhihet.
9) Seite 10, Zeile 4 von unten: *ἐπάγεσθαι* statt *ἐπάγεοδαι.*
10) Seite 16, Zeile 6 von oben: servandos curaret statt servandos curet.
11) Seite 17, Zeile 1 von oben: cessura esset, statt cessura esset; (Komma statt Strichpunkt.)

Marius Priscus veritus, ne causa si diutius ageretur, pessime cessura esset; confessus est se in culpa esse et iudices petiit, ut *litem æstimarent.* Tacitus autem et Plinius qui eum nimia crimina in se admisisse putabant, operam dederunt, ut damnatum gravior poena sequeretur.

Princeps praesidebat; erat enim consul: ad hoc Ianuarius mensis cum cetera tum praecipue senatorum frequentia celeberrimus (II 11, 10).

Imaginare quae sollicitudo nobis, qui metus, quibus super tanta re (i. e. de tanta re) in illo coetu praesente Caesare dicendum erat (II 11, 11.)

Utcumque tamen animum cogitationemque collegi, coepi dicere non minore audientium adsensu quam sollicitudine mea: dixi horis paene quinque (II 11, 14).

Caesar mihi tantum mihi studium, tantam etiam curam praestitit, ut libertum meum post me stantem saepius admoneret, voci laterique consulerem, cum me vehementius putaret intendi (non: incendi), quam gracilitas mea perpeti posset (II 11, 15).

Latus vel *latera* vocabula in *rhetorica* idem valent quod *„pulmones";* dum hi ministerio non funguntur, latera maxime dolent. Itaque dicit Cicero: „Infirma latera; laterum vires; laterum dolor." — „Multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus et Laelium, qui omnia sermone conficerent, paulo intentiore, nunquam, ut Serv. Galba, *lateribus* aut clamore *contenderent* (de orat. I 60)."

Plinius *corpore* erat *imbecillo* et *minus robusto;* quamobrem Traianus anno 111, cum Plinius *propraetor* provinciae *Bithyniae* cum consulari potestate esset, ad eum scripsit (X 18, 1):

„Cuperem sine querela (non: querella) corpusculi tui et tuorum pervenire in Bithyniam potuisses ac simile tibi iter ab Epheso navigationi fuisset, quam expertus usque illo eras."

Querela non solum *querimonias ipsas* significat, sed etiam *curas et molestias,* quae *querendi ansam* praebent.

Aliquamdiu *infirmitate oculorum* (VII 21, 1) laborabat, propter honestissimas causas et lucubrationes susceptas, quibus et ceterae imbecillitates valetudinis maiorem forte partem imputandae sunt.

De morte nihil certi scimus: per *totum* autem *Traiani imperium* aut *paulo ultra vitam produxisse* videtur.

Plures locos Plinianos interpretari longum est; at me discipulos *superiorum quidem classium* impellere spero, ut etiam Plini epistularum lectione delectentur, praesertim cum Plinius et Marcum Tullium aemulari studiis cupiverit (IV 8, 4), et nulla re aeque ac naturae operibus delectatus sit (VIII 20, 10) et egregium (VIII 2, 2) in primis esse putarit ut foris ita domi, ut in magnis ita in parvis, ut in alienis ita in suis agitare iustitiam.

Nissae, Idibus Martiis anni MDCCCLXXXII. **Felix Kœhler.**

